1773. Carmen gratulatorium ... Caj. Ignatii Sołtyk ...

CARMEN GRATULATORIUM
IN
OPTATISSIMO AD SUUM GREGEM REDITU
CELSISSIMI EXCELENTISSIMI
ILLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI
DOMINI

D. CAJETANI IGNATII
SOŁTYK

DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
EPISCOPI CRACOVIENSIS
DUCIS SEVERIÆ
EQUITIS AQVILÆ ALBÆ
A STUDIOSISSIMA SUO NOMINI SOC: JESU CRACOVIENSI

OBLATUM

CRACOVIÆ
Typis Casimiri Jakowski Anno 1773

IN LÆTITIAM PLAUDENTIS PATRIÆ

EPIGRAMMA

I.

QUalis, ubi Odryſio remeavit ab Orbe Joannes,
Byzantii facies gratificantis erat;
Qualia Athànaſio Treviris redeunte per Urbem
Fortis Alexandri gaudia Plebis erant:
Talibus Urbs Veteri Craeo regnata triumphis
CAJETANE Redux Te veniente fremit.
Tantos Pontifices ſtudio cum gentis adæques:
Quis non & meritis cogitet eſse Parem?

II.

NOn unquam modico tenuit ſe Lechia vultu,
Seu Te læta, ſeu ſors inimica petit.
Nec tulit immenſos Te captivo antea luctus;
Nec ſua Te viſo gaudia ferre poteſt.
Scilicet eximiæ virtutis opinio tanta
Non tenet in luctu, non in amore modum.
Te, Superi faxint! ſemper Præſente fruamur;
Neu cogant luctu, ſi rapiare, mori.

ODE

ODE MONOCOLOS

CARMEN PHALEUCIUM.

QUis tandem pepulit coortus aures
Per Urbem fremitus? ſibi quid illa
Conſternatio vult, & hic tumultus
Curſantis populi? refracta toto
Ecquid tympana ter quaterque circo,
Quid vulgat tremulus fremensque truncus?

Quid? quod fervida militum caterva
Huc illuc rapitur, forumve complet?
Et portas vigili frequente servat?
Et vallum Cyprio tuetur ære?
Heu quanto tremuit pavore pectus!
Satur mœnia forte ne minaci
Hostis milite cingat, arce frustra
Jejunam procul exerente bilem.
Neu vibrante cavum nitro metallum
Æris vel solidi, vel intus alvô
Cavata vacui, nigraque fœti
Massa pulveris, aut solutus ictu
Murus culmine corruat superbo:
Aut Delubra Deo dicata quondam
Tristes ore, globo vomente flammas,
Cadant horrida Civibus favilla.
At at nil tragicum timetur Urbi.
Jmmo nescio quid jocosa plebes
Festivum fremit; it foro loquaci
Murmur; curritur undique, & juventus
Ducit læta choros; vagus faventum
Magnis Vistula cingitur catervis.
Nec Clepardia segnis, aut Smolenscum, aut
Norbertus jacet, iîdem agunt Arenas

Æstus

Æſtus: undique denſa gratulantûm
Manus convolat: æra Floriani
Feſto garrula præeunt boatu
Sacris turribus: hæ vago tumultu
Et Urbem quatiunt, & arva juncto
Circumfuſa ſolo. Hoc quid eſſe dicam?
Sed jam rem teneo: o diem beatum!
Magnus Lechiaci Senator Orbis,
Magnus Craciados Patronus Urbis,
Antiſtesque, prior cui nec ætas
Palmam præripiat: nec ulla poſthac
Sacram vertice digniore Mitram
Sit viſura ſequens: Cui & diſerti
Oris contulit Aurei Joannis
Deus munera, & inſolentioris
Fortunæ dedit impetus minaces
Firmo cernere dura tela vultu;
Expectatus adeſt ruente curru;
Viderique ſuis, ſuos & uno
Luſtro plus vetitus, videre pernix.
Hic & Athanasîi malos labores,
Et Baſileidæ pericla fregit:
Nil ipſam timidus ſubire mortem.

Hunc

Hunc effuſa Cracis Virum ſalutat;
Magnis queſtubus Jlla quem vocabat
Noctes atque dies. Eo potita
Non ſe mœnibus impotens còërcet,
Non viſura ſuos prius penates;
Quam Jlle venerit in ſuos penates.

ODE DICOLOS

DITHYRAMBUS.

QUis ſtupor, quis Dia Pindi
Clauſa ſolvit plectra torpor?
Præſul & Pater remoto
Axe ſoſpes integerque
Tot redit votis petitus:
Ulla nec tamen Sororum
Fila pulſu commovet?
Eja ſacræ turba Pimplæ,
Agmen inclytum Dearum,
Linque Delio dicata
Arva, rupes, templa, ſylvas:

Et

Et ſuperbæ monſtra Rhodi (a)
Et jocoſæ tecta Cypri
Priſca linque Pergama (b)
Nil juvat Paterna Graji
Nominis jactare buſta,
Merſa ſordibus Nepotum.
Ergo quo recens Paternæ
Aemulus virtutis ardor
Ducit, ite, transmarinam
Jte Divæ Lechidem.
En jugo Cirrhæ miniſtra
Præbet ultro terga nubes,
Mille circum tota pulchros
Jgne Phœbi picta limbos
Bellicique tecta Craci.
Naufragæque buſta Vandæ
Svadet ire ſeſſilis.
Perque ſyrtes Adriani,
Perque ſaxa, perque ſaltus
Jnnocenti calle celſis

Nixa

(a) *Jn hac inſula Chares Lydius Apollini coloſſum ideſt Statuam dedicavit, 70. cubitos altam, inter ſeptem Orbis relatam miracula.* Plin: lib: 34. cap. 7.

(b) *Pergamon vocant Jones quidquid in edito loco ſitum eſt* Facc:

Nixa nubes findet Euris
Rara pulſæ regna pennæ;
Vavelique prona Divas
Ponet arce ſoſpites.
Fallor? an Deæ ſodales
Ocyus fugace Coro
Inſolentis axe rhedæ
Vavelo jam colle ſidunt?
Præſulique Principique
SOŁTYKIO gratulatæ
Feſta vulgi jubila,
Obſtupeque facta denſis
Sacra cohors gratulantûm
Per plateas, per theatra.
Vocibusque plauſibusque,
Æris & ſacri boatu
Igniumque Martiorum
Mota crebro fulmine,
Ne nihil decente cantu
Nervus obſtrepente vulgo
Expediret: fertur ultro
Fronte poſtulaſſe prona:
Hoſpes ut quod apparavit
Muſa carmen, id patente
Cracis aure attenderet.

Utque plaudens turba pressis
Vocibus modesta sedit:
Jnter octo Prima Clio
Hinc & hinc quater duarum
Virginum superba coetu
Ducis persequente nutum
Tale carmen occinit.

Eja plaude terra Craci,
Ter quaterque plaude felix,
Mitte luctus, mitte planctus;
Carpe flores, necte serta;
Neç comis amoma desint.
Compitis passim Triumphi
Liberales personent.

Ecce Præsul! ecce Princeps!
Præsul ille! Pastor ille!
Norma Cleri, grande Coetus
Purpurati sidus, Orbis
Christiani Lumen, Urbis
Craciæ Lux, & Voluptas
Cura, Vita, Gloria.

Nomen Olli Prisca Magnis

Foeta

Fœta rebus Aula donat,
Dives auri, Dives Jndæ
Mercis; & quam Coa veſtem
Concha rubro tinxit oſtro.
Sed ſuperbos una cenſus
Vicit Aulæ Sanctitas,
Hac Parente crevit Jnfans
CAJETANUS: Jlla Mater,
Jlla Nutrix preſſit ulnis,
Pavit inſons prona pectus
Eruditi rore lactis,
Sanctioris Jpſa Sancta
Facta Mater Filii.
Jnde certa mens, nec ullo
Edomanda ſortis ictu.
Jnde ſempiterna rident; (c)
Jnde tranſitura ſordent.
Jnde quidquid eſt honeſtum,
Sede Sacri cordis intus
Hæret ima conditum.
Hoc Parente moeſta Cracis
Exulan-

(c) *Rident pro placent: Jlle terrarum mihi præter omnes angulus ridet.* Horat: Od: 6. lib: 2.

Exulante ter duabus
Hinc ariſtis ora triſti
Proluebas uda fletu.
En redux, en ſoſpes adſtat.
Euge! felix perge cœptos
Terra plauſus texere!

O D E III.

A D L E C T O R E M.

BOni conſule quæſo care Lector
Hoc quidquid legis hic minus politum:
Tanti Principis & quod Jpſe jure
Menſurâ minus improbare poſſis.
Viri gloria poſthabenda nullis,
Seu quos priſca Viros canit vetuſtas,
Seu quos poſterior videbit ætas,
Et Nomen memori Perenne fama
Molimur vario polire verſu.
Sed res eſt gravis & negotioſa,
Sexcentas tribus inclytasque chartis
Res compingere menſibus quaternis,
Hunc nec Publius ipſe, nec Catullus,
Nec quivis vetus aut recens Pòeta

Tam

Tam durum ſubeat volens laborem,
Hunc exterrita palluit Minerva,
Hunc Parnaſſides horruere Divæ,
Hunc & Arquipotens Apollo fugit.
Jnvita prope luſimus Minerva,
Quidquid luſimus. Ergo care Lector
Roganti veniam negare parce.
Quod ſi difficilis, fidem, petenti,
Mendacem veritus, negas Pöetæ,
Tanti incredulus eſſe rem negotîi:
Jpſe fac age Principis verendas,
Laudes Æmulus unctiore vena
Et majore, licet, recl ude libro.
Jd quod ſi Superi Tibi favententes
Conanti dederint: lubens favebo.
Fererisque meo per ora verſu
Et Mœonide Major & Catullo
Thymbræo Prior, & Prior Novenis,
Quas amnis fovet Jſthmius Puellis.